



8470.

429

XXI<sup>o</sup>.

12

1622, 4

D. O. M. A.

DISPUTATIO JURIDICA ORDINARIA

DE

Traditionibus,

QUAM

Consensu & autoritate Magnifici Dn. Ordinarii, Senioris, cæterorumq; Juris Antecessorum & Doctorum in Illustri Lipsiensi.

PRÆSIDE

*Amplissimo & Consultissimo Viro,*

Dn. IOHANNES CURTIO Ph.

& Juris Utriusq; Doctore, ac Profess. Publ. Præceptore suo multis nominibus honorando.

*Publicè defendet*

M. MARTINUS Gressgen Seuediciensis.

*Ad d. ult. Maii hor. 7. & seqq. matut.*

*In JCorum auditorio.*

LIPSIÆ,

Excudebat JOHANN GLÜCK /

ANNO M. DC. XXII.





Handwritten text, likely a title page or preface, written in a historical script. The text is mirrored across the page, suggesting it was written on the reverse side and bled through. The ink is dark and the paper is aged and yellowed. The text is arranged in several lines, with some larger, possibly decorative, characters at the beginning of sections. The overall appearance is that of an old, well-used manuscript page.





Σὺν Θεῶ.

## T H E S I S I.



Raditio est naturalis acquisitionis modus, quo dominus rei suæ dominium in alterum accipientem ex justâ causâ transfert.

*§. Per traditionem 40. Instit. de rer. divis. l. qua ratione 9. §. hæ quoq; res 3. l. traditio 20. ff. de acquir. rer. domin. l. traditionibus 20. C. de pact. l. in-civile 12. C. de rei vendicat. l. qui fundum 7. §. fin. ff. pro emptore.*

## II.

Estq; vel vera, seu propria; vel ficta, seu impropria & quasi traditio. Vera seu propria traditio est, qua res corporalis ipso actu & corpore in alium transfertur: Ficta verò sive imaginaria est, cum res magis affectu, & interpretatione juris, quàm corpore transfertur.

*Per d. §. per traditionem 40. cum aliquot §§. seqq. ubi Dd. l. qui Saxum 6. ff. de donationib. l. 1. §. si jusserim 21. ff. de acquir. vel amit-tend. possess. d. l. qua ratione 9. §. hæ quoq; 3. cum aliquot §§. seqq. ff. de acquir. rer. domin. l. clavibus 74. ff. de contrab. emt. l. 1. C. de donation. Francisc. Hottom. illustr. quest. 12.*

## III.

Verùm ut ad transferendum dominium efficax sit traditio, tria inprimis in tradente, & duo in accipiente requiruntur. In tradente namq; desideratur primò rei alienandæ potestas, ut nempe ipse sit vel rei dominus (a) nec alienare jure prohibeatur: (b) vel

A 2

saltem



saltem vice domini fungatur, & quidem vel ipsius do-  
mini voluntate: (c) vel ipso jure: (d)

a) §. per traditionem 40. in verb. voluntatem domini, & à domi-  
no tradita Instit. de rer. divis. d. l. quâ ratione 9. §. hæc quoq; res 3. ff. de ac-  
quir. rer. domin. Qui itaque rei dominus non est, dominium  
in accipientem per traditionem non transfert. Nemo ete-  
nim plus juris in alium transferre potest, quàm ipse habet. l.  
traditio 20. ff. d. i. l. nemo plus 54. & l. ahud 160. §. fin. ff. de reg. jur. c. nemo  
potest 79. eodem in 6. l. si noxale 27. §. ex his 1 ff. de noxal. b. actionib. l. alie-  
natio 67. ff. de contrahend. emt.

b) Alienatio etenim contra prohibitionem legis etiam  
à domino facta nullum producit effectum l. non dubium 5. C. de  
legib. c. ex eo 38. de R. J. in 6. Sic res suas sine tutorum & curato-  
rum autoritate alienare prohibentur pupilli & minores l. 1. &  
tot. tit. ff. de reb. eor. qui sub tutel. vel cur sunt. l. obligari 9. §. pupillus 2. ff.  
de autoritat. & consens. tutor. l. si curatorem 3. C. de in integr. restit.  
Quemadmodum etiam prædia, & res mobiles, quæ servando  
servari possunt, absq; magistratus decreto, tutorum & curato-  
rum autoritas licet interveniat, alienare vetantur d. l. 1. & tot.  
tit. ff. d. 1. l. lex quæ 22. C. de administ. tutor. Si quid ergo ex hu-  
iusmodi rebus contra legis prohibitionem alienaverint, & tra-  
diderint, invalida est ista alienatio & traditio, ita ut neque  
dominium ab ipsis recedat, neque ad accipientem transeat l.  
non est vobis 2 l. prædia 8. l. si quidem 10. C. de præd. & aliis reb. minor.  
non alienand.

c) Veluti primò est procurator, qui speciale ad traden-  
dum à domino habet mandatum l. solutum 11. §. fin. ff. de pignorat.  
act. l. restituta 37. ff. ad SC. Trebell. l. fundivenditor 33. ff. de acquir. vel  
amitt. possess. l. eius qui 41 ff. de reb. credit. Quemadmodum & is,  
cui universorum negotiorum administratio unâ cum libera est  
commissa, rem domini tradendo dominium illius transfert, §.  
nihil autem in ere est 42. versu quâ ratione. Instit. de rer. divis. l. qua ra-  
tione 9. §. nihil autem 4. ff. de acquir. rer. domin. l. vel universorum 12.  
ff. de pignorat. act. l. procurator. 63. ff. de procuratorib. Nihil etenim in-  
terest



interest, utrum ipse dominus rem per se alicui tradat, an verò eiusdem voluntate & permisso alius d. § nihil autem interest, Inst. d. t. & d. l. qua ratione 9. § nihil autem 4. ff. d. t. Quod namque quis per alium facit, ipse facere videtur l. ita autem 5. § quod si quis 3. ff. de administr. & peric. tut. l. 1. § de jecisse autem 12. ff. de vi & vi arm. c. qui facit 72. de R. 7. in 6. Diss. Donell. lib. 4. c. 15. per l. procurator 63. ff. de procuratorib.

Secundò Creditor. Is etenim licet dominus non sit pignoris sibi à debitore dati, aut constituti, § contra autem 1. Inst. quib. alien. licet vel non. l. cum & sortis 35. § fin. ff. de pignor. act. l. pignus 9. C. eod. l. rescriptum 12. in pr. ff. de distract. pign. l. quid sit 17. § pignori datus 11. ff. de edil. edict. l. non est novum 46. ff. de acquir. rer. domin. l. si is qui 66. in pr. ff. de furt. Si tamen pignus ob pecuniam iusto tempore non solutam jure suo vendat, & tradat, dominium transfert d. § contra autem 1. Inst. d. t. l. si convenerit 4. ff. de pignor. act. l. fin. § sancimus 1. C. de jur. domin. impetrand. l. quam diu 7. cum duabus ll. seqq. C. de distract. pignor. d. l. non est novum 46. ff. de acquir. rer. domin. Ex voluntate namq; domini pignus alienare dicitur, d. § contra autem 1. Inst. d. t.

d) Utpote sunt tutores, cum tutelam administrant, non cum pupillum spoliant, l. tutor qui 27. ff. de administr. tutor. l. qui fundum 7. § si tutor. 3. ff. pro emt. l. interdum 56. § qui tutelam 4. ff. de furt. l. is qui 11. § at ignoscitur 7. ff. quod vi & clam. l. non omni 16. C. de administr. tutor. l. ad ea que 157. in pr. ff. de R. 7. Si quid ergo ex rebus pupillaribus ritè & pro pupilli commodo vendunt, & tradunt rem faciunt accipientis d. l. non omni 16. C. d. t. Et huius generis sunt quicq; Curatores l. qui neq; 8. in pr. & § 1. ff. de reb. cor. qui sub tutel. vel cur. sunt.

#### IV.

Secundò spectatur in tradente dominii transferendi voluntas, quam ratam haberi convenit naturali æquitati.

§ Per traditionem 40. Inst. d. t. leg. qua ratione 9. § hæc quoque res 3. l. traditio 20. ff. de acquir. rer. domin. l. in omnibus



35. ff. de obligat. & action. Si etenim non ea mente & voluntate rem suam tradit dominus, quod velit illius dominium in accipientem transferre, sed saltem ut commodet, vel deponat, dominium nequaquam transfert, sed illud ipsum penes se retinet l. licet 17. §. 1. ff. de posit. l. rei commodatae 8. cum l. seq. ff. commod. l. mutuum 2. ff. de reb. credit. §. item is 2. cum seq. Instit. quib. mod. re contrah. oblig. Hinc a traditione excluditur furiosus l. 1. §. furiosum 12. ff. de obligat. & act. l. in negotiis 5. ff. de R. J. l. Modestinus 23. §. 1. ff. de donationib. §. furiosus 8. Instit. de inutilib. stipulat. Nulla enim est ipsius voluntas l. furiosi 40. ff. de R. J. l. 1. §. furiosus 3. ff. de acquir. vel amitt. possess. Nulla mens §. praeterea 1: versic. furios. Instit. quib. non est perm. fac. test. l. sed & si 5. §. & ideo 2. ff. ad leg. Aquil. l. si ei 2. §. furiosus 3. ff. de jur. Codicill. Nullusq; animi sensus l. si cum dotem 22. §. si maritus 7. ff. solut. matrim. Quemadmodum etiam infans. Nam nullum intellectum & iudicium habet, §. s. d. quod diximus 11. Instit. de inutilib. stipulat. d. l. sed & si 5. §. & ideo 2. ff. ad leg. Aquil. l. fin. ff. de jur. & fact. ignor. l. quamvis 32. §. infans 2. ff. de acquir. vel amitt. possess. l. infans 12. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. Et pro absente reputatur l. coram Titio 209. ff. de V. S.

V.

Cæterum domini transferendi animum & voluntatem tunc habere censetur tradens, si & ipse verè novit rem, de quâ transferenda cogitat, suam esse, & pro sua tradit: (a) & iusta transferendi causa subest: (b)

a) l. dedi tibi 3. §. subtilius 8. ff. de condict. caus. dat. l. si procurator 35. ff. de acquir. rer. domin. Neque enim animum transferendi habet, qui rem suam esse ignorat, & in ipsâ re tradendâ errat? Nemo ergo errans rem suam amittit d. l. si procurator 35. ff. de acquir. rer. domin. Error etenim voluntati & consensui est contrarius l. nihil 116. ff. de R. J. l. si per errorem 15. ff. de iurisd. Donell. lib. 4. Comment. jur. civil. c. 16.

b) Traditio enim nuda nunquam dominium transfert l. nunquam 31. ff. de acquir. rer. domin. §. per traditionem 40. vers. sed si quidem ex causa donationis, Instit. de rer. divis. Causæ autem iustæ, quibus

bus



bus voluntas domini rem suam in alium transferre volentis exprimitur, sunt verbi gratia, Donatio, d. §. per traditionem Instit. d. 1. & in pr. Inst. de donationib. Emptio & venditio §. vendita 41. Inst. de rer. divi. d. l. nunquam 31. ff. de acquir. rer. domin. l. 1. & l. ex emto 11. §. & in primis 2. ff. de act. emti & vend. l. 1. C. de peric. & comm. rei vend. Datio in solutum. Vicem enim emtionis obtinet l. fin ff. ex quib. caus. in poss. eatur l. si prædium 4. C. de evictionib. l. eleganter 24 ff. de pignorat. act. l. apud Celsum 4. §. auctoris autem 31. ff. de except. dol. mal. Transactio l. transactionem 35 C. de transact. l. non solum 4 C. de præd. minor. Mutuum, Unde etiam ex eo sic est datum, quod de meo tuum, & vicissim ex tuo meum fiat, textus in pr. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. l. 2. §. appellata 2 ff. de reb. credit. Permutatio l. 1. in fin. cum l. seq. ff. de rer. permut. Divisio §. fin. Instit. de offic. judic. l. 1. & seqq. C. Commun. divid. Quia vicem emtionis obtinet l. 1. ubi Dd. C. Commun. utriusq. judic. Hinc est, quod qui post factam divisionem simultaneam investituram non petit, jus suum perdat, Lehens. c. 32. Constit. Elector. 4. part. 2. Rauchb. q. 21. part. 2. Adjudicatio per sententiam judicis facta §. si familia 5 & §. fin. Instit. de offic. jud. l. 1. ff. de jurid. l. liberto 21. §. Lucius Titius 3 ff. de annuis legat. l. statuliberi 29. §. 1. ff. de statulib. Et similes. Ex diverso verò minitè è justis tituli ad transferendum sunt depositum l. licet 17. §. 1. ff. de p. l. cum pater 77. §. pater pluribus 21 ff. de legat. 2. Commodatum l. rei commodata 8. cum l. seq. ff. commod. Precarium l. 1. in fin. ff. precar. Quare & quæ præcariè possidentur, nullo unquam tempore præscribuntur l. malè agitur 2. C. de præscript. 30. vel 40. annor. Locatio l. non solet 39 ff. locat. l. qui rem propriam 20. C. eod. c. inter dilectos 6. vers. per instrumenta verò locationis, extr. de fid. instrument. Quemadmodum nec etiam per pignus dominium rei corporalis transferretur, l. cum & sortis 35. §. fin. ff. de pignorat. act. l. cum hic status 32. ff. de donationib. int. vir. & uxor. licet creditor juris dominium in re sibi pignoris loco data habeat l. eorum 19. ff. de damn. infect.

## VI.

Ex titulo tamen emtionis & venditionis non aliter per traditionem dominium acquiritur emptori, nisi vel ipse



ipse pretium solverit venditori: vel eidem alio modo, datis pignoribus, aut fidejussoribus, satisfecerit: vel eiusdem fidem de pretio venditor secutus fuerit.

*§. Vendita 41. Instit. de rer. divis. l. quod vendidi 19. l. ut res emptoris 53. ff. de contrab. emt. l. Paulus 38. §. quæsitum est 2. ff. de liberal. caus. l. procuratoris 5. §. sed si dedi 18. ff. de tributor. act. l. arboribus 12. in fin. l. sed & si 25. §. interdum 1. ff. de usu fr. l. incivile 12. C. de rei vindicat. l. emti 9. C. de contrab. emt. Francisc. Hottom. quest. illustr. 12. Idque non tantum lege 12. tabularum sic est caurum, sed etiam jure naturali introductum, d. §. vendita 41. Instit. d. t. Ea etenim est contrahentium sive vendentium mens, & voluntas, ut pro merce venditâ & tradita statim pretium recipiant, ne non tam emptio & venditio, quàm donatio facta videatur, Hottomann, Giphon, & alii in d. §. vendita 41. Poterit itaq; venditor rem à se traditam iterum vindicare, nisi pretium sibi fuerit solutum l. Julianus 13. §. offerri 8. ff. de actionib. emt. & vend.*

### VII,

**Tertium, quod in tradente requiritur, est actus traditionis, seu possessionis translatio.**

Ex possessione enim oritur dominium l. 1. in pr. ff. de acquir. vel amitt. possess. Pactis ergo ab omni traditione nudis rei dominium non acquiritur, sed saltem persona ad dandum vel faciendum obligatur l. traditionibus 20. C. de pact. l. obligationum 3. ff. de obligat. & act. Hinc emptor rem nondum sibi traditam vindicare non potest l. si ager 50 ff. de rei vindic. l. penult. C. eod. l. Quintus Mutius 40. ff. de actionib. emt. Et res si duobus in solidum est vendita, in eiusdem dominio obtinendo prior est is, cui priori est tradita l. quorrens 15. C. de rei vindicat. l. qui tibi 6. C. de heredit. vel act. vend. Idque procedit non tantum in venditione simplici, verum etiam cum juramento alicui primo facta Didac. Covarr. ad c. quamvis, de pact. in 6. rom. 1. part. 1. §. 4. n. 1. & seq. & in epitom. de sponsalib. part. 1. c. 51. n. 10. Anton. Gomes. variat. resol. tom. 2. c. 2. n. 20.

Jaf,



*la. ad l. quotiens 15. C. d. t.* Quemadmodum & in causa donatio-  
 nis is potior habetur, cui res donata prius fuit tradita. *d. l. quo-*  
*tiens 15. C. d. t. l. fin. §. Lucius. ff. de donationib.* Et ex duobus de eo-  
 dem feudo investitis is alteri praefertur, qui postimpetrationem  
 investiturae est nactus feudi possessionem: in titulo quamvis sit  
 posterior argumento *d. l. quotiens 15. C. de rei vindicat.* ubi *Dd. d. l.*  
*traditionibus 20. C. de pactis. l. nunquam 31. ff. de acquir. rer. domin.* Et  
 Concordat jus Saxonicum *Lehenr. c. 37. Schurff. cons. 53. cent. 1.*  
*Hartm. Pistor. lib. 2. quest. iur. q. 29. n. 11. & seqq. Vult. lib. 1. de feud. c.*  
*10. n. 11. Ioh. Borcholt. de feud. c. 7. n. 12. Mynsing. cent. 4. obs. 61.* Te-  
 netur tamen feudi dominus ei, qui primò fuit investitus, ad in-  
 teresse, *c. unic. in fin. de nova form. fidelitat. in Usib. feud. lib. 2. tit. 7.* Nam  
 vel pecuniam feudo æquivalentem solvat: vel aliud feudum  
 consimile parisq; æstimationis praestet, *Bald. in d. c. unic. §. fin. de*  
*nov. form. fidelit. Hartm. Pistor. d. lib. 2. quest. 29. n. 3. Ioach. Myns.*  
*d. cent. 4. obs. 61. & Ioh. Borcholt. d. c. 7. n. 17.* Et congruit jus Saxo-  
 nicum *Lehenr. c. 11. & c. 33.* Quemadmodum etiam venditor, qui  
 duobus rem vendidit, & uni eorum tradidit, alteri emtori id  
 praestare cogitur, quod ipsius interest *l. si ager 50. ff. de rei vindicat.*  
*l. Quintus Mutius 40. ff. de actionib. emt. & vendit. l. qui tibi hereditatem*  
*6. C. de hereditat. vel action. vendit. l. si ancillam 11. C. de action. emt. & veno*  
*dit.* Quoniam fidem contractus fregit *d. l. 6. C. d. t. & d. l. 11. C. d. t.*  
 Et insuper poena falsi coercetur *l. qui duobus 21. ff. ad leg. Cornel. de*  
*fals. ubi Hyppol. de Marsil.*

VIII.

Sed an vacua esse debeat possessio, quæ à tradente in a-  
 lium transfertur, inter Doctores controvertitur.  
 Nos affirmativam, utpote juri magis convenientem,  
 sequemur.

*l. Si in emtione 2. §. 1. ubi Bartol. cum l. seq. ff. de action. emt. &*  
*vend. l. si pater tuus 8. C. eod. l. cum res 12. C. de probationib. l. qui pradium*  
*13. ubi Dion. Gothofr. C. de distract. pignor.* Non enim videtur  
 possessionem adeptus is, qui ita est nactus, ut eam retinere non  
 possit

B





possit l. non videtur 22. ff. de acquir. vel amittend. possess. Nam tunc demum in potestatem domini aliquid pervenisse dicitur, cum possessionem eius nactus est iuste, ut avelli non possit l. sequitur 4. §. tunc in potestate 12. ff. de usucapion. l. mulieris 13. §. 1. 2. ff. de V. s. Bartol. & alii in d. l. cum res 12. C. de probationib. Francisc. Hotromann. quast. illustr. 11. Mynsing. cent. 1. obs. 53. VVesenbec. in parat ff. de contrah. emt. n. 13. Goed. in l. habere 188. ff. de V. s. Hinc ad rei dominium acquirendum nuda detentio nihil valet l. si ager 50 ff. de rei vindicat. l. Quintus Mutius 40. ff. de action. emt. & vend. l. traditio 20. §. fin. ff. de acquir. rer. domin. Nec plures eandem rem in solidum possidere possunt l. possideri 3. §. ex contrario 5. ff. de acquir. vel amitt. possess. l. si ut certo 5. §. si duobus 15. ff. Commodat. l. duo in solidum 19. ff. precar. l. de hereditate 19. §. pater 3. ff. de castrens. pecul. Dissentit Donell. lib. 4. comm. iur. civil. c. 19. ubi Hilliger. Fabian. de Monte in tract. de emt. q. 6. princ. n. 66. & alii qui vacuum rei possessionem ad dominium transferendum non requiri existimant.

IX.

In accipiente verò ad rei traditæ dominium acquirendum concurrere oportet primò consensus: (a) deinde rei traditæ acceptio, sive possessionis apprehensio. (b)

a) l. In omnibus 35. ff. de oblig. & act. Sicut enim dominium ab invito non recedit l. si procurator meus 35. ff. de acquir. rer. domin. l. id quod nostrum 11. ff. de R. J. Ita invito non acquiritur l. invito 69. ff. de R. J. Quemadmodum nec illi, qui in corpore rei tradendæ errat l. cum in corpus 36. ff. de acquir. rer. domin. l. si me in vacuum 34. ff. de acquir. vel amitt. possess. Dissensus tamen sive error in causis dandi & accipiendi nequaquam impedit, quo minus rei traditæ dominium in accipientem transferatur d. l. cum in corpus 36. ff. de acquir. rer. domin.

b) Non aliter etenim jure gentium dominium per traditionem



tionem acquiritur, nisi res tradita animo & corpore ab acci-  
piente apprehendatur l. 1. in pr. & §. 1. l. possideri 3. ff. de acquir. vel a-  
mutend. poss. §. ex his itaq; s. circa fin. Instit. per quas person. cuiq; ac-  
quir. Ad domini autem acquisitionem nihil interest, sive quis  
verè, sive fictè apprehendat possessionem sibi traditam per ju-  
ra supra in thesi 2. adducta.

X.

Traditionem recipiunt omnes res tum corporales, tum  
incorporales, sed illæ quidem propriè: (a) hæ verò  
impropriè. (b)

a) §. Per traditionem 40. ibi cuiuscunque generis sit corporalis res,  
Instit. de rer. divis. Solæ etenim res corporales sui naturæ pos-  
sunt tangi §. 1. Instit. de reb. corporalib. & incorporalib. l. 1. §. 1. ff. de rer.  
divis. ac proinde etiam propriè possideri l. possideri 3. in pr. ff. de  
acquir. vel amitt. possess. Nihil autem refert, cuiuscunque gene-  
ris sit res corporalis, quæ traditur, mobilis an immobilis.  
Res etenim mobiles manu traduntur: immobiles verò per in-  
ductionem in possessionem d. §. per traditionem Instit. d. t. ubi com-  
muniter Dd. & in l. traditio 20. ff. de acquir. rer. domin. Unde ho-  
diè non tantùm prædia in Italia, verùm etiam in provinciis  
devictis sita, quæ Reipublicæ Romanæ stipendia & tributa pen-  
dunt, & proinde prædia stipendiaria & tributaria dicuntur,  
tradi & alienari possunt, textus d. §. per traditionem, ubi Theophil  
Instit. d. t. l. unic. C. de usucapion. transform. Iohan. Goed. in l. ager 27. ff.  
de V. S. n. i. cum aliquot seqq.

b) l. Servus 43. §. in corporales 1. ff. de acquir. rer. domin. Res  
enim incorporales propriè possideri non intelliguntur, sed tan-  
tum quasi possidentur l. ait prator, 23. §. item ei 2. ff. ex quib. caus. ma-  
ior. in integr. rest. l. quod si 16. §. fin. ff. de petit. heredit. l. servitutes 20.  
in pr. l. si ades 23. §. fin. ff. de servit. præd. Urban. l. servitutes 14. ff. de servit.  
l. si quis 10. ff. si servit. vindic. l. possideri 3. in pr. & §. 1. ff. de acquir. vel amitt.  
possess. l. sequitur 4. §. si viam 27. ff. de usucapion. Per patientiam  
tamen

B a tamen





tamen, quæ pro traditione habetur, improprie tradi dicuntur  
res incorporales l. si ego emi 11. §. si de usufructu 1. ff. de publician. in rem  
action. l. fin. ff. de servit. l. 1. §. fin. ff. de servit. præd. rustic. l. omnium 3. ff. de us-  
ufr.

XI.

Nisi tamen rerum, de quibus tradendis agitur, alienatio  
sit etiam ipsis dominis interdicta vel lege: (a) vel ulti-  
mâ voluntate: (b) vel à iudice ex causa. (c)

a) l. Fin. C. de reb. alien. non alien. Sic fundum dotalem, vel a-  
liam rem immobilem inæstimatam maritus alienare nequit,  
ac proinde nec alteri tradere, text. in pr. Instit. quib. alien. licet vel  
non l. unic. §. Et cum lex Julia 15. C. de rei uxor. action. Auth. sive à me  
C. ad SC. Velleian. & tot. tit. ff. de fund. dotal. ubi in par. VVelenb.  
Quamvis jure civili sit dotis dominus, §. per traditionem 40. vers.  
sed siquidem ex causa donationis aut doti. Instit. de rer. divi. & in pr. In-  
stit. quib. alien. licet vel non l. dotis fructum 7. §. si res 3. l. si ego 9. §. si res ali-  
cui 1. l. quamvis 75. ff. de jur. dot. l. etsi dotis 3. l. de his 11. & l. si prædium 23.  
C. eod. l. si dotale 13. §. dotale prædium 2. ff. de fund. dotal. l. Lucius Titius  
21. §. idem respondit 4. ff. ad municip. l. sunt & alia 3. ff. de public. in rem  
act. l. servum dotalem 21. ff. de manumissionib. l. doce ancillam 9. C. de res  
vendicat. Quemadmodum & uxor res propter nuptias sibi do-  
natas alienare prohibetur, Auth. nunc inhibetur C. de donat. ant.  
nupt. Novell. 127. c. quia verò 3. Auth. sive à me C. ad SC. Vellejan. No-  
vell. 61. c. 1. Quamvis earum rerum sit domina, ac proinde eas-  
dem marito ad inopiam vergente vindicare possit l. ubi adhuc 29  
& Auth. donationem C. de jur. dot. Novell. 97. c. illud 6. §. si autem sub  
potestate. Auth. permissa C. de donat. propt. nupt. Eodem modo est in-  
terdicta alienatio quævis rerum ad juvandos hostes pertinen-  
tium, veluti sunt aurum l. 2. C. commert. Esculentia & poculentia  
l. cotem. 11. in pr. ff. de publican. l. 1. & 2. C. quæ res export. non deb. ubi  
Sich. & Cujac. Omnis generis arma, & quicquid est materie  
ad ea conficiendum vel acuendum necessaria d. l. 11. ff. de publican.  
& d. l. 1. C. d. t. Alienatio itaq; contra prohibitionem, etiam à rei  
domino facta, est inutilis ac proinde dominium in accipientem  
non



non transfert l. non dubium 3. C. de legib. & in pr. Instit. quib. alien. licet vel non.

b) d. l. fin. C. de reb. alien. non alien. l. filiusfamilias 11. §. divi Severus & Antonius 14. & seqq. ff. de legat. 1. l. cum pater 77. §. liberis 27. ff. de legat. 2. l. pater 38. §. 1. & §. Julius Agrippa 4. cum duob. seqq. & l. Lucius Titius 93. in pr. ff. de legat. 3. Andr. Gail. lib. 2. Obs. 137. Schurff. cens. 2. cons. 6. n. 5. Anton. Gabr. Roman. de fidei commiff. lib. 4. conclus. 9.

c) l. De pollicitationibus 8. ff. de pollicitationib. l. si ab eo 12. ff. de usurpat. & usu cap. l. Julianus 10. & l. mulieri 15. ff. de curat. furios. dand. iul. Paul. 3. recept. sent. tit. 4.

XII.

Ad dominii autem translationem nihil interest, si vere, si imaginariè res tradantur.

Per jura superius in thesi 2. adducta. Idem etenim circa dominium & possessionem operatur traditio ficta, quod traditio vera, §. interdum 44. cum seqq. ubi Dd. Instit. de rer. divu. l. quia 2. ff. pro soc. l. si is qui 15. ubi Bartol. tal. & alii ff. de usucapionib. l. 1. §. si jusserim 21. ff. de acquir. vel amitt. possess. Franc. Hotom. quasi. ill. 12.

XIII.

Traditio ficta si imaginaria fit vel in personam certam, vel incertam. (a) In personam certam fit ex parte tam tradentis, quam accipientis. (b)

a) §. Hoc amplius 45. Instit. de rer. divu. ubi Dd. Persona incerta hoc loco dicitur ea, de qua interrogari si de ante, si post translationem, dicere non possumus, quanam illa sit. Myns. in d. §. hoc amplius 45. Instit. d. r.

b) §. Interdum etiam 44. ubi Dd. Instit. d. r.

XIV.

Ex parte tradentis fictè fieri intelligitur traditio tribus potissimum modis, veluti primò patientia transferentis.

B 3 Sic





Sic servitūtem tradere videtur, qui me ire, agere, pascere, uti frui patitur. In rebus etenim incorporalibus patientia domini loco traditionis habetur *l. si ego emi 11. §. si de usufructu 1. ff. de public. in rem act.* & per alia jura superius in ch. 10. sub lit. b. adducta. Similiter in rebus corporalibus patientiā transferentis fit quasi traditio, ac proinde per eam dominium transferatur, veluti si quis rem suam antea tibi commodatam, vel locatam, vel oppignoratam, vel apud te depositam, postmodum tibi aut vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit, aut ex alio quodam titulo ad transferendum habili tuam esse passus fuerit, §. interdum etiam 44. *Instit. de rer. divis. l. quā ratione 9. §. interdum 5. l. si servus 21. §. 1. ff. de acquir. rer. domin. l. si rem 62. in pr. ff. de evictio. l. possideri 3. §. sed si is 20. ff. de acquir. vel amitt. possess. l. si ve autem 9. §. si quis 1. ff. de public. in rem act. l. singularia 15. ff. de reb. credit. l. absenti 10. ff. de donationib. Iacob, Cuiac. lib. 4. obs. c. 3.* Cuius quoque generis est ea traditio, si debitorem meum jussero id, quod mihi debet, ex causa alienandæ rei tibi tradere *l. singularia 15. ff. de reb. credit. l. 1. §. si jusserim 21. vers. idemq; esse ff. de acquir. vel amitt. poss.* Qualis traditio brevi manu fieri dicitur *l. licet 43. §. 1. ff. de jur. dot.*

XV.

Deinde notā vel symbolo aliquo insigni interveniente, veluti vel clavium traditione: (a) vel instrumenti porrectione. (b)

a) Si quis enim merces in horreo depositas, aut vinum in cellā reconditum vendiderit, clavesq; apud horreum, aut cellam emptori tradiderit, statim ipsarum mercium, vel vini dominium in emptorem transfert, *textus in §. item si quis 45. Instit. de rer. divis. l. qua ratione 9. §. item si ff. de acquir. rer. domin. l. clavibus 74. ff. de contrah. emt. l. 1. §. si jusserim 21. in fin. ubi Bartol. ff. de acquir. vel amitt. possess.* Eodem modo & utensilia de jure Saxonico ex causā donationis inter vivos in præjudicium proximæ cognatæ rectè alienantur, si nempe mulier donatrix autoritate curatoris, claves cistarum, in quibus res ad utensilia perti-  
nen-



436

mentes asservantur, in iudicio donatario tradat, *Constit. Elector.*  
14. par. 2.

b) Veluti si quis instrumentum mancipiorum emtorum tibi donet, & tradat, ipsorum mancipiorum dominium in te transtulisse censetur *l. 1. ubi Bartol. C. de donationib. facit l. servum 44. §. eum qui §. ff. de legat. 1. l. qui chirographum § 9. ff. de legat. 3.*

XVI.

Et tandem rei tradendæ demonstratione.

Veluti si quis fundum venditum oculis emtoris ex altâ turri subiiciat, eo ipso fundum tradidisse intelligitur *l. quod meo 18. §. si venditorem 2 ff. de acquir. vel amitt. possess.* Quo in casu res longâ manu tradita censetur *l. pecuniam 79. ff. de solus.*

XVII.

Ex parte accipientis similiter fit traditio symbolo, nempe vel per rei consignationem: (a) vel vini degustationem: (b) vel per adspæctum: (c) vel custodis appositionem, (d)

a) Veluti si emtor arbores in nemore vel aliam rem emtam signet *l. quod sine § 14 §. 1. ff. de peric. & comm. rei vend. Sic h. ad rubric. C. eod. tit.* Hinc ballæ mercatorum præsumuntur esse eorum, quorum signis sunt notatæ, Bartol. in *l. eum qui 14. §. si. ff. de furt. Bald. in Auth. dos data C. de donat. ant & propt. nupt.*

b) Hæc etenim animo transferendi dominii facta pro totius dolii traditione habetur *l. 1. & l. si quis vina 4. ff. de peric. & com. rei vend. Fr. Hottom. quasi. illustr. 12.*

c) *l. Pecuniam 79. ff. de solution. l. 1. §. si jusserim 21. ff. de acquir. vel amitt. possess.*

d) *l. Quarundam § 1. ff. d. t. Donell. lib. 5. comm. jur. civil. cap. 9.*

Quasi



XVIII.

Quasi traditio, quæ fit in personam incertam, duobus contingit modis, nempe vel per jactum missilium in vulgus: (a) vel per rem pro derelicto habitam (b).

a) Veluti cum olim consules & dictatores designati, hodiè verò Imperatores & Reges die electionis & coronationis suæ variarum rerum donaria in vulgus jactant atq; proiciunt, textus in §. hoc amplius 48. Instit. de rer. divis. l. quâ ratione 9. §. hoc amplius 7. ff. de acquir. rer. dom. l. si id quod 5. §. id quod 1. ff. pro derelict. Novell. 106. ubi Iacob. Cuiac, & Dion. Gothofr. Novell. Leonis 94.

b) §. Quâ ratione 47. Instit. de rer. divis. l. 1. cum l. seq. & l. si id quod 5. §. 1. ff. pro derelict. Pro derelicto autem res haberi dicitur, quæ à domino eâ mente abiicitur, ut eam in numero rerum suarum diutius esse nolit, sed cuivis occupanti permittit, d. §. quâ ratione 47. & d. l. 1. & 5. ff. d. t. Statim itaq; illius esse incipit, eam qui primus occupat. Est etenim eiusmodi rei obiectio loco & vice traditionis, vimq; tacitæ cuiusdam donationis obtinet d. l. 1. & l. 5. ff. pro derelict. Cæterùm non tantùm res mobiles, sed & immobiles pro derelicto haberi possunt, ita ut naturali ratione occupanti concedantur, arg. §. fera igitur 12. Instit. de rer. divis. Iisdem etenim modis res desinunt esse nostræ, quibus nobis acquiruntur l. 1. ibiq; gloss. in verb. desinit ff. pro derelict. l. nihil tam naturale 35. ff. de reg. jur.

XIX.

Verùm à rebus pro derelicto à domino habitis differunt res illæ, quæ levandæ navis causa in tempestate ex navi in mare eiiciuntur. Hæ etenim dominorum abiicientium permanent.

Ratio differentia hæc est: quia in rebus pro derelicto habitis adest mens & voluntas nostræ res illas alienandi, ne amplius sint nostræ, per jura in thesi præcedente adducta: in rebus verò ob coortam tempestatem in mare proiectis voluntas alienandi non adest, sed necessitas. Hæ namq; non eâ abiiciuntur.



clinetur mente & voluntate, quod quis eas in rerum suarum numero amplius esse nolit, sed ut eo facilius una cum navi periculum maris possit effugere, text. in §. alia sane causa 48. Inst. de rer. div. l. qua ratione 9. §. fin. ff. de acquir. rer. domin. l. si laborante 2. §. fin. & l. qui levande 8. ff. de lege Rhod. de jact. l. interdum 21. §. quod ex naufragio 1. ff. de acquir. vel amit. poss. l. falsus 43. §. si jactum 11. ff. de furt. l. si quis merces 7. ff. pro derelict. l. quo naufragium 3. in pr. ff. de incend. ruin. naufr. Auth. navigia. C. de fure. Quare si quis res huiusmodi postea fluctibus expulsas, aut in mari natantes animo lucrandi exceperit, abstulerit, & detinuerit, furti obstringitur, iudicisq; arbitrio punitur, textus d. §. alia sane causa, Inst. d. t. & d. l. qua ratione 9. §. fin. ff. de acquir. rer. domin. d. l. falsus 43. §. si jactum 11. ff. de furt. l. submersis 5. C. de naufrag. Iacob. Menoch. lib. 2. arbitr. judic. quest. cent. 3. cas. 297. Hodie verò authenticorum jure res naufragorum surripiens punitur publicatione omnium bonorum, non obstante aliqua consuetudine in contrarium, text. in Auth. navigia C. de furt. Andr. Gail. lib. 1. obs. 18.

XX.

Eodem modo nec pro derelictis habendæ sunt res illæ, quæ de rhedâ currente, dominis non intelligentibus, in viâ delapsæ fuerunt.

Erratio est, quis non eâ mente e curru fuerunt abiectæ, quod domini eas in rerum suarum consuetudine amplius habere nolit, §. alia sane causa 48. Inst. de rer. div. Illas ergo qui lucrandi animo occupat & detinet, furti se obstringit text. d. §. alia sane l. quo naufragium 3. in pr. ff. de incend. l. falsus 43. §. qui alienum 4. ff. de furt. & si quis invenisti 14. q. 5. Nec refert, si sciat, si nesciat ad quem res illæ pertineant d. l. falsus 43. §. qui alienum 4. ff. de furt. Iohan. Köppen in suis decisionib. quest. 9. Coler. part. 1. de iur. 149. Unusquisq; etenim scire debet quod suum non est, hoc ad alios modis omnibus pertinere l. fin. C. unde vi. A suspitione itaq; & obligatione furti ut se liberet illarum rerum inventor vel per libellum publicè propositum, vel per præconem palam significare tenetur, se eas invenisse, etiã qui se illarum domi-  

C

num





num probaverit redditurum esse d. l. falsus 43. §. proinde videamus 81  
ff. de furt. d. c. si quid invenisti 14. q. 5. Et concordat jus Saxon. lib.  
2. Landr. art. 37. Autor differ. jur. civ. & Saxon. differ. 59. & part. 5.  
differ. 13. Sin autem post factam proclamationem publicam do-  
minus rei non inveniatur, res amissa & inventa inter pauperes  
est distribuenda, vel ad alios pios usus conferenda: aut si ipse in-  
ventor pauper sit, potest eandem cum consensu episcopi seu  
magistratus retinere c. nemo 14. q. 5. Bartol. in l. 1. circ. fin. ff. uti possid.  
& d. l. falsus 43. §. qui alienum 4. ff. de furt. Marth. VVesenb. in par. ff.  
de furt. n. 10. Autor differ. d. loc.

XXI.

Porro traditionis effectus est vel domini translatio: (a)  
usucapiendi conditio. (b)

a) Si etenim traditio fit à rei domino, vel ab eo, qui eius  
transferendæ potestatem habet, dominium jure gentium sta-  
tim in accipientem transfertur, per jura in thesi 1. 2. & 3. adducta.  
Dominium ergo alicui semel per traditionem ex justo titulo  
acquisitum, eidem invito sine causæ cognitione auferri non de-  
bet per l. id quod nostrum 11. ff. de R. J. Ac ne quidem à principe ex  
plenitudine potestatis ob utilitatem publicam, nisi justo pretio  
refuso l. venditor. 13. §. 1. ff. commun. praedior. l. 2. C. pro quib. caus. ser vi  
pro pram. libert. accip. §. fin. Inst. de his qui sunt sui vel alien. jur. Bartol. in  
l. fin §. ult. ff. de pignor. act. Andr. Cail. lib. 2. obs. 56. n. 8. Myns. cent. 4.  
obs. 8. & cent. 5. obs. 97. Unde & is qui possessionem rei sibi tradi-  
tæ amisit, rem vindicare poterit l. in rem actio 23. ff. de rei vindicat.  
l. actionum 25 ff. de oblig. & action. §. 1. & §. appellamus 15. Inst. de act.

b) Si namq; à non domino res traditur, dominium eiusdem  
non statim in accipientem transfertur, sed saltem usucapiendi  
conditio, & quidem jure civili l. traditionibus 20. C. de pact. l. clavibus  
74. ff. de contrah. emt. l. prator. §. ubi gloss ff. de dam. infect. Etsi enim ma-  
la fidei possessor non potest usucapere §. furtiva quoq; 2. & §. quod  
autem ad eas 7. Inst. de usucap. c. fur. extr. de prescriptionib. ubi Cano-  
nista c. possessor 2. de R. J. in 6. Usucapiendi tamen occasionem  
tribuit, dum rem alienam alteri tradit d. §. quod autem ad eas 7.  
Inst.



*Inst. d. t. d. l. clavibus 74. ff. de contrah. emt. l. quam rem 38. ff. de usurpat. & usucap. Usucapiendi enim jus non ex personam tradentis transfertur: sed in titulo & bona fide accipientis fundatur, & in eius persona inchoatur, per iura modò adducta. Mala namq; fides tradentis bonæ fidei accipientis nocere non debet l. sed et si res 7. §. prator ait 11. ff. de public. in rem act. l. apud 4. §. de auctoris dolo 27. & §. auctoris 31. ff. de doli mali except. Modò tamen res, quæ bonâ fide accipienti traditur, sit ad usu capiendum idonea, nec alio reali vitio affecta §. sed & aliquando 1. cum §. seq. Inst. de usucap. l. ubi lex 24. ff. de usurpat. & usucap.*

## X X I I.

**Finis traditionis est, ut re dominio nostro per traditionem acquisitâ uti frui, deq; eâ liberè disponere possimus.**

Nihil etenim est tam conveniens æquitati naturali, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi §. per traditionem 40. Inst. de rer. divis. l. qua ratione 9. §. ha quoq; res 3. ff. de acquir. rer. domini l. non usq; adeò 2. ff. si a parent. quis manum. ff. sit. Est namq; quilibet rerum suarum moderator & arbiter l. nemo exterius 9. C. de Judai l. in re mandata 21. C. mand. Adeò ut etiam rei dominus rem suam in mare proicere possit l. Mævius 55. ff. de condit. & demonstrat. Unde & actio injuriarum datur contra eum, qui dominum in usu rei suæ turbat l. injuriarum 13. §. fin. & l. si quis 24. ff. de iniuriis. l. qui pendentem 25. ff. de act. emt.

## Quæritur.

1. *An dominium sit etiam rerum incorporalium, nec ne?*
2. *An donatio omnium bonorum valeat, nec ne?*
3. *An usucapione plenum acquiratur dominium, nec ne?*

*Μὲντοι τῶ θεῶ δόξα.*



Handwritten text in a medieval script, likely Latin, appearing as bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded.

Handwritten text in a medieval script, likely Latin, appearing as bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded.

Handwritten text in a medieval script, likely Latin, appearing as bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded.

Handwritten text in a medieval script, likely Latin, appearing as bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded.

2

Ca






X2615935


Von











8770.

429  
XXIV.  
12

D. O. M. A.  
DISPUTATIO JURIDICA ORDINARIA  
DE

# Traditionibus,

QUAM

Consensu & autoritate Magnifici Dn. Ordinarii, Senioris, cæterorumq;  
Juris Antecessorum & Doctorum in Illustri  
Lipsiensi.

1622, 4

PRÆSIDE

*Amplissimo & Consultissimo Viro,*

Dn. IOHANNES CURTIO Ph.  
& Juris Utriusq; Doctore, ac Profess. Publ. Præceptore suo multis nominibus honorando.

(2 1/2)

*Publicè defendes*

M. MARTINUS Gressgen Scudiciensis.

*Ad d. ult. Maii hor. 7. & seqq. matut.  
In Actorum auditorio.*

LIPSIÆ,

Excudebat JOHANN GLÜCK /

ANNO M. DC. XXII.